Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-225726777-19

DE

ORIGINE ET NATVRA POESEOS

DISSERTATIO,

QVAM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

ET PRAESIDE

CHR. G. HEYNE

ELOQV. ET POES. P. P. O. M. BRITANN. R.

A CONSIL. AVL.

AD

DOCTORIS PHILOSOPHIAE ET ARTIVM MAGISTRI

DIGNITATEM OBTINENDAM

DIE I. MENSIS IVLII, 1780.

PVBLICE DEFENDET

HENRICVS WÜRTZER

HAMBVRGENSIS.

GOETTINGAE,

EXCVDEBAT I. A. BARMEIER.

ILLVSTRISSIMO COMITI

JOANNI LVDOVICO A WALLMODEN

D. D.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-225726777-19

ILLVSTRISSIME COMES!

Nihil mihi umquam felicius contingere potuit, quam ut ILLUSTRI TUO NOMINE has paginas ornare mihi liceret. Neque facilitate TUA male utar. Impleant alii epistolas suas dedicatorias adulationibus, quibus et ipsi et patroni erubescant oportet. Virtutum suarum sibi conscius, et vocis publicae integro verissimoque de iis iudicio fruens exiguis clientis cuiusdam laudibus non eget. Offerre TIBI, optimo rerum, quae ad elegantiores litteras pertinent, aestimatori, hanc qualemcumque commentatiunculam audeo; qua de re eo magis mihi gratulor,

gratulor, quod hîc optata mihi datur occasio gratum animum pro summa TVA in me benevolentia multis modis probata publice testandi.

Deum autem O. M., ut quam diutissime TE in praesidium atque emolumentum patriae servet, TEque et DOMVM TVAM ILLVSTRISSIMAM omni prosperitatis genere cumulet, supplex veneror

TIBI, ILLVSTRISSIME COMES,

Devotissimus
HENRICVS WÜRTZER.

§. 1.

Quaestionem de origine atque natura poëseos saepius ab hominibus eruditissimis agitatam quum denuo in medium affero, non nescius sum, fore, qui hunc laborem tamquam supervacaneum nihilque utilitatis habentem contemnant. Contra quos hoc dicendum existimo: minime eorum opera litteras carere posse, qui rem maxime controversam novis argumentis illustrare atque diiudicare studeant; neque sine iniuria inutilem dici tractationem de arte illa praestantissima et fere divina institutam, quae non solum a summis viris in deliciis habita, sed maximi quoque olim in regendis civitatibus sacrisque peragendis momenti fuit, et toto coelo a recentiorum quorumdam nugis sonoris, quas poëseos nomine ornare non erubescunt, diversa.

Neque vero latissimum hunc campum emetiri ac percurrere constitui. Non tam arrogans sum ut id mihi sumam.

mam. Liceat mihi tantum pauca, quae ad hanc rem pertinentia obſervavi, mandare litteris, meamque ſententiam breviter explicare; quantum id quidem ſine eruditionis apparatu et doctrinae copia facere potero. Exquirant, ſi placet, intelligentes, quid veri quid falſi ſit in iis, quae a me dicentur. Errorum ſi quos immiſerim, etiam in dictionis latinae proprietate et elegantia, facile veniam impetraturum me eſſe ſpero, quum ingenue profiteri non pudeat, plus ſemper legendo me eſſe delectatum quam ſcribendo, neque me cogitata mea ſermone veteris Latii exprimere umquam auſurum fuiſſe niſi inſtitutis academicis coactum.

§. 2.

Sed ad propoſitum noſtrum accedamus. Magnam ſemper inter eos, qui de poëſi ſcripſerunt, diſſenſionem fuiſſe, neminem litterarum elegantiorum omnino non expertem latere poteſt. Ut ab iis incipiamus, qui primi in huius artis naturam diligenter inquiſiviſſe videntur, ſcriptoribus, Platonem et Ariſtotelem ſummos veteris Graeciae philoſophos primo loco memorandos eſſe putamus. Et *Plato* quidem libro tertio de republica *) ſententiam ſuam his verbis expoſuit: Της ποιησεως τε και μυθολογιας ἡ μεν δια μιμησεως ὁλη ἐστιν, ---- τραγῳδια τε και κωμῳδια, ἡ δε δι' ἀπαγγελιας αὐτου του ποιητου. ἑυροις δ' ἀν αὐτην μαλιστα που ἐν διθυραμβοις. ἡ δ' αὐ δι' ἀμφοτερων, ἐν τε των ἐπων ποιησει, πολλαχου δε και ἀλλοθι. Ubi de menſuris et verſibus ne verbum quidem. Sed ex aliis locis, quibus carminum auctores non

*) p. 394. ed. Henr. Steph.

non rhytmos solum et metra callere, verum etiam totius artis musicae peritissimos esse iubet philosophus, non fine iure colligimus, ex eius mente poëtam numeris et metris omnino adstrictum esse debere. *Aristotelis* opinionem sequi si volumus, hoc modo definienda erit poësis, quod sit *imitatio, quae oratione fiat perspicua eademque elatiore et a vulgari sermone remota.* Ponit enim ab initio libri, quem de arte poëtica conscripsit, sola imitatione poëtas effici ope orationis, neque omnia poëseos genera metris indigere, quum epopoeia τοις λογοις φιλοις existere possit. De elocutionis poëticae virtutibus agens *) λεξεως δε, inquit, ἀρετη, σαφη, και μη ταπεινην ειναι. Σαφεστατη μεν ὀυν ἐξιν ἡ ἐκ των κυριων ὀνοματων, ἀλλα ταπεινη· παραδειγμα δε ἡ Κλεοφωντος ποιησις, και ἡ Σθενελου-Σεμνην δε και ἐξαλλατ]ουσα το ἰδιωτικον ἡ τοις ξενικοις κεχρημενη· ξενικον δε λεγω γλωτ]αν, και μεταφορὰν, και ἐπεκτασιν, και παν το παρα το κυριον. Alio denique loco **) omnia ea, quae de natura poëseos ante scripserat, breviter ita colligit: Ἐπει γαρ ἐξι μιμητης ὁ ποιητης, ὡσπερ ἀν ἡ ζωγραφος, ἡ τις ἀλλος ἐικονοποιος, ἀναγκη μιμεισθαι τριων ὀντων τον ἀριθμον ἑν τι ἀει. Ἡ γαρ ὁια ἡν ἡ ἐξιν, ἡ ὁια φασι και ὁοκει, ἡ ὁια ἐιναι ὁει. Ταυτα ὁ' ἐξαγγελλεται κυριᾳ λεξει, ἡ και γλωτ]αις, και μεταφοραις, και πολλα παθη της λεξεως ἐξι, ὁιὁομεν γαρ ταυτα τοις ποιηταις. Quae verba, quamquam non idem plane cum Aristotele sentimus, pro nostra tamen opinione, quam deinde explicare conabimur, haud parum facere nobis persuasimus, adeoque non temere nos ea descripsisse suo loco apparebit. Re-

*) Cap. 21. **) Cap. 24.

centiores nunc adeamus. Sunt qui omnem rem poëticam in imitandis actionibus humanis, et iucundis, magnis, vehementibusque animi motibus oratione figuris plena describendis atque exprimendis ponant: alii poësin naturae cuiusdam, quam fingunt, ornatioris et eius, quam videmus, pulchritudinem longe superantis imitationem *) esse putant voce yel litteris expressam: alii poëtam nihil aliud agere volunt quam ut animos auditorum lectorumve imaginibus e natura desumtis, venustis, pulcris, novis, elegantibus et amoenis demulceat atque delectet, aut sublimibus, magnificis, terribilibus, tristibus percellat, efferat, affligat aut in commiserationem adducat: alii fictionibus nutriri poësin nec sine illis usquam exstare posse arbitrantur, quorum in numero est *Jones*, qui in commentariis de poësi Asiatica **) *est sane* inquit, *fictio poëseos* (*Hebraeam omnium verissimam excipio*) *quasi anima, sine qua nec naturam neque etiam nomen retinere possit.* Scripsit poëta quidam Gallicus *du Cerceau*, cuius sententiam an quis sequutus sit nescio: in sola verborum transpositione verum et constantem characterem artis poëticae esse quaerendum ***) Non denique defuerunt qui metris et versibus in eosdem sonos desinentibus totum poëtarum negotium absolvi crederent; ut de iis taceam, qui ab omni elegantiorum Musarum commer-

*) *Imitation de la belle nature.* **) p. 133.

***) *L'inversion* est l'ame de la poésie, il n'y a point de vers sans *inversion*. Un vers, pour être véritablement de la poésie et non de la prose, doit être tel qu'en rompant la mesure et en suprimant la rime, on ne laisse pas de retrouver, même dans cette espèce de démembrement, un air de poésie et un langage veritablement poétique.

mercio abhorrentes artium numero poëſin excludunt, neminemque in ea excolenda operam ponere poſſe, niſi qui mente captus ſit, perſuadere nobis adfectant.

§. 3.

Qua in tanta ſcriptorum diſſenſione, ſingulas quas recenſui opiniones ſi fuſius exponere vellem et quae contra dici poſſint afferre, longiſſimum ſane et faſtidioſiſſimum opus ſuſciperem. Meam, ſi vera eſt: opponere ſufficit. Lectores iudicabunt.

§. 4.

Conſtat inter omnes, et ab ipſa ratione et animi intelligentia non aliter evenire poſſe docemur, ante artium praeceptores fuiſſe artes; hasque non ſtatim ab initio, ſed poſt multa tentamina et experimenta, poſt crebras mutationes atque viciſſitudines, ad perfectionem quandam perveniſſe. Non ſemper igitur eadem iis facies, nec idem plane uſus exiguis plerumque terminis in principio circumſcriptus. Invenies tamen quaedam inde a primis initiis cuivis arti inſita, quibus immutatis aut omnino remotis, nec nomen, quo deſignatur, convenire amplius, neque ingenium idem manere poterit. Neceſſe eſt igitur ut artis naturam optime is perſpiciat adeoque definiat rectiſſime, qni, ad ultimam usque originem regredi non gravatus, has praecipue partes diligentiſſime obſervare et exquirere ſtudet, quae nunquam ab ea ſeparatae fuerunt, nec, ſi ad finem, quem in ea invenienda atque excolenda propoſuerunt ſibi homines, pervenire velimus, ſeparari poſſunt. Quam viam in

noſtra diſputatione, ſequentes, ut plenius certiusque cognoſcamus, quae artis poëticae natura ſit, elaborabimus.

§. 5.

Inſpiciamus iam antiquiſſima quae nobis reſtant vatum monumenta, eorum maxime, qui in Palaeſtina, Graecia, Scotia, Scandinavia, floruere; aggrediamur auctores veteres Graecos et Latinos, qui de poëtica accuratius vel obiter tantum tractarunt *), et ea, quae de eius origine atque uſu apud diverſos populos ſcripta reliquerunt, diligenter perpendamus; comparemus denique ea, quae de carminibus barbararum quarundam et ferarum gentium hominumque agreſtem vitam degentium in itinerariis recentioribus inveniuntur. Ex his fontibus haurire qui volet, non is quidem res dicet doctis ignotas, ſed ad explicandam penitusque perſpiciendam originem atque naturam artis, de qua hic agimus, omnino neceſſarias.

Hebraeorum ſane vetuſtiſſima ſunt quae novimus monumenta poëtica. Sed iam Moſis tempore non ſolos fuiſſe Hebraeos, qui vates ſuos haberent, ex ipſius hiſtoria diſcimus eo libro quem *Numeros* inſcripſerunt cap. 21. ubi auctor nobis epinicium quoddam inter Moabitas vulgatum ſervavit in regis eorum victorias compoſitum. Hiſtoriam Judaeorum antiquiſſimam, aeque ac cosmogoniam Moſaicam, e carminibus quibus continebatur eſſe collectam, hodie quis eſt qui ignorat? Et hanc rationem carminum ope hi-

*) Inter primi generis ſcriptores eminent Plato, Ariſtoteles, Horatius, Athenaeus; in caeteris autem nominandi Cicero, Strabo, Plutarchus, Quintilianus.

historiam tradendi posteritati communem fuisse omnibus fere populis ante litterarum cognitionem acceptam aut satis pervulgatam, communem quoque adhuc esse gentibus quibusdam barbaris, id quidem permultis exemplis hoc loco probari posset: sed ne minis longi simus, lectorem ad fontes paulo ante indicatos remittemus, quibus hic libet historicorum mentionem addere, qui de rebus Arabicis, Hibernicis etiam, Danicis, Islandicis scribentes fidem suam auctoritate veterum carminum confirmare solebant. Quis autem est Graecis litteris vel modice instructus qui nesciat, maximam partem eorum, quae ad res populorum Graeci nominis pertinent, versibus fuisse conditam, donec sexto ante Ch. n. seculo inventi sunt, qui primi in libris conscribendis prosa oratione uti audebant? Quis est denique, qui maiori studio quam vulgo fieri solet mythologiam didicerit, nec intelligat, veteribus, quae hoc nomine notantur, fabulis, non religiones solum sed primas etiam gentium origenes contineri?

Sunt igitur carmina historici argumenti valde antiqua, haud tamen omnium prima. Scimus apud populos quosdam barbaros, qui ita ab omni cultura abhorrent, ut historiam suam plane ignorent, morem esse, omnes vere eventus, vel laetos vel tristes, quibus tota gens aut privati quidam afficiuntur, saltationibus celebrandi et versibus, quos ex tempore saepius fundere, et ad strepitum plerumque instrumentorum nostris quidem auribus horrisonorum saltantes canere solent. Idem apud veteres Graecos usus obtinuit, et apud Hebraeos tempore origini gentis proximo eundem usum obtinuisse ex historia Jacobi filii Isaaci patet. Laban enim Jacobo exprobrans, quod fuga sese

ſubterduxerat, id ſimulat dolere maxime, quod ſibi hoc facto occaſio ablata fuiſſet amicum inter laetas epulas, cantus ſonumque tympani ac citharae dimittendi. Hîc poëſeos incunabula. Hinc eam origenem ſuam traxiſſe docuit iam Ariſtoteles. Κατα φυσιν τε ὀντος, inquit, ἡμιν του μιμειθαι, και της ἁρμονιας, και του ῥυθμου, (τα γαρ μετρα, ὁτι μορια των ῥυθμων ἐσι, φανερον) ἐξ ἀρχης, ὁι πεφυκοτες προς ἀυτα μαλιςα, κατα μικρον προαγοντες, ἐγεννησαν την ποιησιν, ἐκ των ἀυτοσχεδιασματων *). Quae verba melius intelliges ſi hunc locum Platonis addideris, quo de chorea agens Athenienſem quendam cum Clinia Cretenſi et Megillo Lacedaemonio de legibus diſputantem ita loquentem inducit **). Και τα μεν δη της χορειας ἡμισεα διαπεπερανθω. De muſica nimirum dixerat, quae tunc temporis poëſin complectebatur atque ſonorum ſtudium, olim autem omnem quoque ſaltationem ſimul comprehenderat. Και τα δ' ἡμισια ὁπως ἀν ἐτι δοκῃ περανουμεν. . . . . Ὁλη μεν που χορεια ὁλη παιδευσις ἠν ἡμιν· τουτου δ' ἀυ, το μεν, ῥυθμοι τε και ἁρμονιαι το κατα την Φωνην. . . . Το δε γε κατα την του σωματος κινησιν, ῥυθμον μεν κοινον τῃ της φωνης ἐιχε κινησει, σχημα δε ἰδιον· ἐκει δε μελος ἠ της φωνης κινησις. . . . . Τα μεν τοινυν της φωνης, μεχρι της ψυχης, προς ἀρετης παιδειαν, οὐκ οἰδ' ὁντινα προπον ὠνομαζομεν μουσικην. . . . . Τα δε δε γε του σωματος, ἁ παιζοντων ὀρχησιν ἐιπομεν, ἐαν μεχρι της του σωματος ἀρετης ἠ τοιαυτη κινησις γιγνηται, την ἐντεχνον ἀγωγην ἐπι τον τοιουτον ἀυτου γυμ-

*) Cap. 4.
**) De Legibus lib. 2. pag. 672. 673.

γυμναστικην προσειπωμεν. Nempe id saltationis genus, quo veteres iuvenum corpora ad bellica opera formare studebant, hîc ab alia illa saltatione actionum humanarum motuumque animi imitatrice distinguit, quae in choris atque in recitandis vatum carminibus adhibebatur. Et paucis interiectis haec de origine choreae addit: Ο'υκ ὁυν ἀυ ταυτης ἀρχη μεν της παιδιας, το κατα φυσιν πηδαν ἐιθισθαι παν ζωον· το δ' ἀνθρωπινον, ὡς ἐφαμεν, αἰσθησιν λαβων του ῥ'υθμου, ἐγεννησε τε ὀρχησιν και ἐτεκε· του δε μελους ὑπομιμνησκοντος και ἐγειροντος τον ῥ'υθμον, κοινωθεντε αλληλοις χορειαν και παιδιαν ἐτεκετην. Mentem horum philosophorum si bene percepi, primos versus inter festorum solemnia factos esse crediderunt, quum homines saltando animi motus exprimentes in serie et intervallis gressuum variis modis implicatorum sibique invicem succedentium rythmum aliquem seu numerum observarent, et naturae quodam impulsu moniti corporis motui nunc celeri et acri, nunc tardiori lentoque, nunc concitato et vehementi, nunc placido atque remisso, verba accommodarent quibus causam solemnitatis affectusque suos declarare consueverant. Eandem opinionem pro sua dedit Brown in libro de origine et progressibus poëseos, et sane fieri potuit, ut numquam in verba Platonis et Aristotelis attentus, sola observatione ductus eorum, quae de moribus barbararum gentium ex itinerariis ab ipso prolata sunt, in eam inciderit. Nec quid contra hanc sententiam dici possit video.

Rude fuisse primum hoc genus carminum et impolitum nemo negabit. Attamen nativo suo colore, ut ita dicam, et ratione quadam naturae maxime conformi varios ani-

animi motus affectusque repraesentandi, cultioribus quoque hominibus placere debuit, id quod vel hodie in versibus Lapponum atque Huronum videmus. Invento autem metro non potuit non brevi tempore ars magnis progressibus augeri. Saltabant homines et canebant in festis nuptialibus, in exsequiis, post victoriam partam; nullus deinde congressus publicus sine saltatione et cantu; in cultu etiam deorum, in sacrificiis supplicationibusque adhibebantur. Omnes quum ita natura comparati simus, ut et tristitiae nostrae et gaudii alios participes esse cupiamus; quum adhaec homines ante civitates certis legibus constitutas saepissime ab omnibus occupationibus vacent, mens autem humana nimis longum otium perferre nequeat: mox fieri oportuit, ut multiplicarentur solemnitates, ludique publici instituerentur. Hanc praeclaram occasionem ostendendi quid possent non amittebant illi quibus maiores ingenii vires erant. Jam laudi ducebatur in componendis sciteque canendis carminibus inter alios excellere. Hinc summa in hoc genere vincendi aemulatio, hinc vatum certamina. Praecipuus illis tribuebatur honos, qui huius artis eximiam ostenderant peritiam. Sapientiores quum ceteris haberentur et prudentiores, in consiliis primi rogabantur; si forte munus aliquod publicum gerendum esset, prae aliis ad id deligebantur; si bellica expeditio suscipienda, imperium belli ei potissimum deferebatur, qui carminibus pugnatorum animos ad proelia incendere audaciamque augere valeret.

Jam omnis generis argumenta versibus tractabantur. Alii iuventutis gaudiis fruentes, vel tranquillam apud greges vitam degentes, amores suos canebant, virtutes et for-

formam amicarum dicebant; vina et epulas, veris delicias, variasque totius naturae pulcritudines laudabant. Alii maius aliquid ausi heroum laudes celebrare sumebant, aut hymnos componebant in honorem deorum. Idem autem tempus varias quoque carminum formas progenuit, quas magis elaborarunt posteriora tempora et perfecerunt. Alternis interdum canebant, vel certaminis causa, vel ut diversos mentis sensus aut animi affectus exprimerent. Hinc dialogi, qui in primis in poësi pastorali inveniuntur, et cantus alterni, qui in eadem saepissime occurrunt. Carmen epicum ex simplici narratione factorum memorabilium traxit originem, dramaticum autem genus ex iis solemnibus, in quibus res memoria dignae, praeclara facta heroum, et deorum facinora narrabantur ac motu corporis simul exprimebantur, admixtis subinde vocibus approbantium, laudantium aut vituperantium, suadentium, spem aut timorem, laetitiam aut moestum animum declarantium *).

Jam

* Idem apud barbaros quosdam Americae incolas vidit inter alios Lafiteau. Optime inde origo chori in tragoediis comoediisque Graecis explicari potest. Chorus semper testis aderat actionis repraesentatae, interdum actoris partes suscipiebat. Mirati sunt multi, res, quae ut saepius verisimilitudinem offenderet necesse fuit, quomodo apud sagacissimam gentem potuerit introduci. Quibus ut paucis respondeamus, observare liceat, chorum eo tempore esse institutum, quo publice omnia agebantur, quae ad omnes spectabant; postea vero mutatis rebus Graecos, eorum quae a maioribus acceperant tenacissimos, chorum eiusque antiquum usum in scenis retinuisse.

Jam optima carmina ediſcebantur; et ubi erat animadverſum, omnem ſermonem rhythmo et metro demenſum facile memoriae mandari, educationis pars haberi coepit, pueros docere quae vates de rebus geſtis populi, de laudibus heroum et de cultu deorum cecinerant. Inde carmina antiqua magna ex parte inſtrumenta hiſtoriae facta. Eadem obſervatione moniti qui ad bonos mores homines formare ſtudebant, praecepta ſua verſibus incluſa tradebant. Et immortales illi viri optime de genere humano meriti, qui immanes et feros homines ad humanitatem revocarunt, in civitates congregarunt, agros colere docuerunt, leges ſuas metro ornatas, aliter enim non placiturae erant, ad lyram canebant. Apollinem, Linum, Orpheum memoraſſe ſufficit*. Elegantes verſus Horatii de hac re quis neſcit?

Silveſtres homines ſacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
Dictus et Amphion Thebanae conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit.

De arte poëtica v. 391. ſqq.

Deni-

* Horum rationem noſtris temporibus Jeſuitae feliciſſime imitati eſſe

Denique omnis oratio gravioris momenti, aut quae ad delectationem, persuasionem et excitandam animi commotionem composita erat, numeris sese et metris commendabat. Oracula etiam per multa secula versibus edebantur. Versibus ad populum dicebatur: quo factum credo, ut, quod e Cicerone discimus, antiquissima illa Graecorum oratorum scripta, quae ipsius adhuc tempore exstabant, quamquam a versu aberant, nimis tamen numerosa essent, et quod ad elocutionem attinet, non multum a poëtica discreparent. Quid mirum igitur, quod ii, qui primi de artibus atque scientiis scripserunt, metrica, non prosa oratione usi sint? Mirandum erat, si aliter fecissent. Haec non bene considerasse videtur Julius Scaliger, quum de poëseos antiquitate disputans grammaticorum de ea re sententiam irrideret. *Animi gratia*, inquit *), *etiam historiae quaedam de poëtices vetustate sunt attingendae. Ac more quidem suo nugantur grammatici. Nam quo argumento profiteantur poëticen soluta oratione antiquiorem, videamus. Aiunt enim in donariis aliisque monumentis omnia scripta numerose sane. Num etiam quotidianam orationem illa praevenere?* Fateor, hoc, quod affert, grammaticorum argumentum leve esse et ineptum: nec tamen ideo res ipsa, solidissimis sane rationibus totiusque antiquitatis consensu nitens, erat reiicienda. Caeterum, quum nobis hoc loco cum iis solis res sit, qui fontes norunt, unde quae hactenus scripta sunt hausimus, minus necesse habere credimus argumen-

esse dicuntur, quum in eam regionem Americae, quam Paraguay vocant, mores religionemque christianam inducerent.

*) Poëtices lib. I. c. 2.

gumentis historicis diutius immorari, alio forsan tempore hanc tractationis nostrae partem fusius exposituri. Non possum tamen quin adscribam locum quemdam insignem Plutarchi huc pertinentem, ex eius *commentario*, *cur nunc Pythia non reddat oracula carmine* *). Ἀμοιβῃ γαρ ἐοικε νομισματος ἡ του λογου χρεια, και δοκιμον μεν αυτου το συνηθες ἐξι και γνωριμον, ἀλλην ἐν ἀλλοις χρονοις λαμβανοντος. Ἦν ὀυν ὁτε λογου μομισμασιν ἐχρωντο μετροις και μελεσι και ᾠδαις, πασαν μεν ἱξοριαν και Φιλοσοφιαν, παν δε παθος, ὡς ἁπλως ἐιπειν, και πραγμα, σεμνοτερας Φωνης δεομενον, ἐις ποιητικην και μουσικην ἀγονλες· ἁ γαρ μονον νυν ὀλιγοι μολις ἐπαϊουσι, τοτε δε παντες ἠκροωντο, και ἐχαιρον ἁδομενοις ἀροται τε, ὀρνιθολογοι τε, κατα Πινδαρον. Αλλα ὑπο της προς ποιητικην ἐπιτηδειοτητος, ὁι πλειοι δια λυρας και ᾠδης ἐνουθετουν, ἐπαῤῥησιαζοντο, παρεκελευοντο, μυθοις και παροιμιαις ἐπεραινον· ἐτι δε ὑμνους, θεων ἐυχας, παιανας ἐν μετροις ἐποιουντο και μελεσιν, ὁι μεν δι ἐυφυϊαν, ὁι δε δια συνηθειαν. Ὀυκουν ὀυδε μαντικην κοσμου και χαριτος ἐφθονει ὁ θεος, ὀυδε ἀπηλαυνεν ἐνθενδε τιμωμενην μουσαν του τριποδος, ἀλλα ἐπηγελο, μαλλον ἐγειρων, τας ποιητικας ἀσπαζομενος Φυσεις, ἀυτος δε Φαντασιας ἐνεδιδου, και συνεξωρμα το σοβαρον και λογιον, ὡς ἁρμοτλον και θαυμαζομενον.

§. 6.

Versus quomodo nati sint, et antiquissimi eorum usus qui

*) T. II. p. 206.

qui fuerint, iam intelligimus. Pergamus nunc ad secundam disquisitionis nostrae partem, qua de natura ipsa artis tractabimus.

Summa ars vatum antiquissimorum in eo consistebat, ut versus componerent motibus corporis accuratissime accommodatos, et facili quodam cursu auribus gratos nullo negotio animo sese imprimentes. Vocis atque instrumentorum soni verba sequebantur motusque saltantium; inde quoque sonorum scientiam successu temporis excolebant vates, et arti suae adiungebant. Ἀοιδοι apud Graecos appellabantur a cantu, et μουσικοι, quod eam artem profitebantur, cuius inventio tribuebatur Musis. Elocutio in carminibus a quotidiana oratione differebat in primis *verborum delectu*, et, ubi metrum exigeret, *formis quibusdam verborum*, quibus utendi in versibus facultatem hodie *licentiarum poëticarum* nomine concedimus. Usus igitur frequentissimus *earum* fuisse videtur *formarum*, *quibus addimus aliquid verbis vel detrahimus*. Aristoteles quidem eo loco, quem supra citavimus, ἐπεκτασεως meminit. Quod autem ibidem de usu dialectorum scripsit, id minime in ea tempora cadere potest, quum homines nullis adhuc regulis loquendi cognitis praeter eas quas natura ipsa nullo adhibito artis auxilio docet, in sermone quotidiano dialectorum differentiam non magis observarent, quam in nostratibus ii, qui, quid sit bene loqui ignorantes, verborum terminationes loquendique formulas miscent, quae pro diversitate populorum Germaniae, qui iis utuntur, maxime saepe discrepant. *Verborum* autem *delectus* eo spectat, ut maior orationi vis concilietur vel ornatus. Est hoc quidem

dem omnium linguarum proprium, ut in principio, ubi artium scientiarumque studio nondum excultae sunt, res in quibus vel remotissima similitudo observata est, una denominatione comprehendant, vocibus vero phrasibusque illis, quibus notiones, quas philosophicas appellamus, designentur, omnino careant, adeoque non nisi rerum, quae in sensus cadunt, nominibus utantur. Haec eadem nomina postea ad eas res transferri solent, quae oculis non cernuntur, percipiuntur tamen mente, et comparantur cum aliis, quibus sensuum ope afficimur. Idem de verbis dicendum, quae initio ad significandas actiones tantum a corporibus proficiscentes, post autem ad animi aliarumque rerum incorporearum affectiones declarandas, sed in utroque genere similium habita ratione, adhibentur. Porro earum vocum, quae in grammatica adiectivorum atque adverbiorum nomine veniunt, nullus omnino initio usus est, post summa penuria. Hae voces quum ad exprimendas rerum vel actionum qualitates et modos inventae sint, necesse est ut, ubi deficiunt, usus earum similitudinibus atque comparationibus suppleatur. Aliter nunquam comparatum invenies sermonem hominum, qui profundis meditationibus nondum exercitati raro ultra cognitionem rerum sub sensum cadentium progrediuntur, et si quando supra hunc quem cernimus mundum evolare audent, omnes tamen notiones, quae menti obferuntur, imagine quadam vestiunt, et nominibus ad res corporeas pertinentibus exprimere student. Id quod multo aliter fit in nostris linguis; namque in explicandis notionibus, quas abstractas, philosophicas, metaphysicas vocamus, omnem operam nostram, frustra quidem plerumque,

in

in eo ponimus, ut verba orationisque formae longissime ab iis recedant. quibus in aliis rebus utimur. Talis sermo vati non convenit, quippe cuius ars eo spectat, ut res sensibus quasi subiiciantur, et per sensus in animos firmiter imprimantur. Contra, nihil genere illo sermonis antiquo ad eum finem inveniri aptius potest. Igitur omnium gentium vates iis, quae eiusmodi sermo praebebat, commodis callide usi, verba deligebant roboris plena et quae veris pulcrisque imaginibus res quasi sub oculos ponerent. Quum autem necessitate quadam saepius accideret, ut in tam imperfecto incultoque sermone verba deficerent, quibus animi sensa declararent aut vivis quasi coloribus depingerent: vel inusitatis translationibus (μεταφοραις) utebantur, vel prorsus nova verba secundum similem aliquam rationem inveniebant. Denique descriptionibus atque comparationibus, quae in nudis etiam narrationibus quotidie occurrebant, orationem, ubi vel necessitatis vel ornatus causa opus videbatur, amplificabant. Et inde vere dicere licet, vates linguam suam primos locupletasse, atque ad eam perficiendam maioremque ei iucunditatem conciliandam plurimum contulisse. Post ea tempora, multiplicatis in immensum negotiis, additisque multis vitae necessitatibus antea incognitis, artibus atque scientiis inventis, et hominum societate sensim ac pedetentim a statu illo primaevo generis humani longissime remota: lingua quoque aliam formam sumsit, atque a prima sua simplicitate multum recessit. Nec tamen placere desiit sermo ille antiquus carminibus vatum adhuc servatus; sed mox interpretibus egere coepit. Hoc munere apud Graecos post rhapsodos grammatici fungebantur. Ii autem, qui ad imitationem

vatum

vatum priſcorum temporum carmina componebant, a verbo ποιειν, quo graece latinum illud *componere* vertitur, ποιηται dicti ſunt, quod nomen ante Platonem nusquam invenies. Non tamen infitiandum eſt, hoc idem nomen de vatibus etiam uſurpatum fuiſſe, ex quorum verſibus exempla ad imitandum petebant poëtae. Cuius rei probabilis eſſe haec cauſa videtur, quod iam monumentorum iſtorum priſci auctores, nulla ſonorum ſcientiae, quam poſſederant, ratione habita, rerum duntaxat, ſententiarum, dictionis, verſuum reſpectu conſiderabantur. Technicae ſunt voces ποιημα, ποιησις, ποιητης, nec ante artis poëticae corruptionem umquam in poëtarum carminibus adhibitae. Summum autem fuit poëtarum ſtudium, ſumma laus, ſermone ſuo antiqui illius ſermonis imaginem exprimere, et verſuum dulcedine eos, quorum carmina tot ſaeculorum admirationem ceperant, ſi non ſuperare, at ſaltem adſequi. Inde etiam archaïsmis utendi licentia, tum ſenſus aut metri cauſa, tum ut dignitatem quandam carminibus ſuis adferrent, poëtis conceſſa.

Jam omnes partes, quibus abſolvitur poëſis, me attigiſſe arbitror. Namque eorum opinio, qui ſine fictione nullam prorſus eſſe poëſin putant, meo quidem iudicio, licet a multis approbata, tamen maxime a vero aberrat. Fictiones et fabulae, ſive ab ipſis poëtis excogitatae ſive ab aliis, materiem quidem carminibus praebent: ſed argumenta, circa quae ars verſatur, eiusdem naturam conſtituere non poſſunt. Et quis non videt, auctorem commentariorum de poëſi Aſiatica ſibi ipſi contradicere, quum contendit, fictionem eſſe poëſeos quaſi animam, ſine qua ea,

nec

nec naturam neque etiam nomen possit retinere, Hebraeam tamen, quam omnium verissimam dicit, esse excipiendam?

§. 7.

Quibus positis, poëtas si a vatibus, bardis, ἀοιδοις distinguimus, duobus modis poësin definire licebit. Nam primum quidem pro eo orationis genere accipimus, quod prosae opponitur: et tunc est *oratio perspicua et nervosa ad exemplar sermonis antiquissimi a vatibus exculti formata, et metris demensa.* Vel idem est quod ποιητικη s. ars poëtica, quam definimus *artem ex imitatione vetustissimorum carminum natam, versibus orationem rerum imagines repraesentante compositis animi sensa perspicue et fortiter exprimendi.* Qua duplici definitione si vere explicatur natura poëseos, facile ad plures, de quibus multum disputatum fuit, quaestiones responderi poterit. E. g. num scripta comicorum poëmata sint? (Mallem equidem quaeri hoc modo: num sit comoedia, qualis post primam eius apud Graecos aetatem usque ad nostra tempora fuit, ad poësin referenda?) Num poëma soluta oratione conscribi possit? Num obscuri carminum scriptores in poëtarum numero ponendi sint? quod quidem, si ex ipsius elocutionis vitio nata est obscuritas, omnino negandum esse arbitror.

Finem hîc imponimus tractationi noſtrae, nihilque praeiudicantes, de utilitate et veritate eorum, quae de origine atque natura poëſeos ſcripſimus, lectoribus iudicium permittimus.

THE-

THESES.

Ingeniorum varietas non nisi ex parte ab educatione pendet.

Grammaticam philosophicam ignorare neque poëtis licet, neque poëtarum aestimatoribus.

Φιλαυτιαν primum omnium virtutum humanarum esse fontem, sine noxa in philosophia morali doceri potest.

p. 9. l. 10. lege ψιλοις pro φιλοις.
pag. 9. lin. 15. lege Σεμνη pro Σεμην.

36743

ULB Halle
008 250 901
3
VD18

R

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-225726777-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-225726777-19

DE

ET NATVRA
DESEOS

DISSERTATIO,

QVAM

PLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

ET PRAESIDE

R. G. HEYNE

OES. P. P. O. M. BRITANN. R.

A CONSIL. AVL.

AD

HILOSOPHIAE ET ARTIVM

MAGISTRI

NITATEM OBTINENDAM

MENSIS IVLII, 1780.

BLICE DEFENDET

CVS WÜRTZER

HAMBVRGENSIS.

GOETTINGAE,

EBAT I. A. BARMEIER.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-225726777-19
DFG